

dit : atque sic cum aliis , eruditione & ingenio provecioribus , quasi repuerascere visus est : cum aliis horis ardua magis & alacrioribus ingeniis idonea argumenta , uti Idyllia Theocriti , itemque Tragœdias Euripidis atque Sophoclis , mira felicitate enarrata , istis exercitiis adungere non gravaretur . Reliqui , præter Vitum , e quorum ore secundis quasi curis itidem literas optimas hausit , fuere ea ætate præstantissimus Mathematicus *M. Erasmus Reinholdus* Salfeldensis : *M. Paullus Eberus* , Kittingensis Fr. qui ad L. II. Plinii commentatus est : *M. Joannes Marcellus* Regiomontanus , in Ovidii Metamorphosi occupatus , Arithmeticamque cum Sphærica tradens : *M. Joh. Stigelius* , Gothanus in Virgilianis Ovidianisque poematibus defudans & *M. denique Erasmus Floccius* Noribergensis , Viri omnes magni nominis nec proletariæ eruditionis . Quorum omnium , quæ fuerit dexteritas in docendo , ex variis monumentis constat , qui vero labores sigillatim peracti Intimationum , uti vocantur , Vitebergensium Tomi ab A. 1540. usque ad A. 1570. collecti edocebunt . Atque huc usque , *parentibus adhuc vivis & subsidia necessaria utcunque submittentibus* , quibus privatas ipse informationes juvenum sibi commissorum adjecit , vita in Academia Leucorea acta est : ex qua tunc velut ex equo Trojano imensa doctorum virorum multitudo prodiit . Quanti vero illam Musarum sedem noster æstimarit , jam senex factus , ipse his verbis testatum fecit , quando , *conspēctis & auditis Luthero , Melanchthone , aliisque Doctōribus , veluti luminibus quibusdam coruscantibus & auctoritate eximiis , se latatum esse , inquit a) contigisse sibi felicitatem , ut esset auditor & discipulus istorum Doctōrum , de quibus vera opinio in plerisque totius Europa regnis confirmata fuerat , quosve in religione Prophetica & Apostolica veritatis esse tenaces defensores & simul totius sobria Philosophia censors præcipuos noverit . Imo , agnosco , inquit , etiam me , quic-*

B 2

quid

a) Lib. Versific. A. 1. (b)